

hoc profecto tanto gravius perturbamur, quanto dictorum regum exaltationem et tam eorum quam suorum fidelium quietem et statum prosperum affectamus. Unde ipsa dissensio non solum eis, sed universe Christianitati multipliciter posset esse dampnosa. Cupientes super hoc, prout ad nostrum spectat officium, salubre studium adhibere dilectum filium fratrem V. de Ordine Minorum capellanum et penitentiarium nostrum, de cuius industria et sollicitudine plenam in Domino fiduciam gerimus, ad eosdem reges duximus destinandum, ut ipsos sedulis exhortationibus^{a)} secundum datam sibi a Deo prudentiam studeat ad concordiam revocare. Ideoque serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatenus ad huiusmodi concordiam procurandam studeas efficaciter interponere partes tuas ita, quod, sicut speramus et credimus, regalis in hac parte sollicitudo proficiat et exinde dignis in Domino laudibus valeas merito commendari.

XV.

Papst (Innocenz IV.) an die Königin (Blanche, Mutter König Ludwigs IX.) von Frankreich; beklagt die Niederlage Ludwigs (bei Mansurah/Ägypten) und den Tod so vieler Glaubenskämpfer, darunter des Grafen (Robert) von Artois, und tröstet die Königin.

(August 1250)¹⁾.

Hs. fol. 29^{ab} = T.

Mailand, Bibl. Ambrosiana, Cod. A 210 inf. fol. 101^r = M.

Venedig, Bibl. Naz. di S. Marco, Cod. lat. 493 (1741) fol. 5^v—6^v = V. Regine Francie^{b)}.

Tibi meste nos tristes pagina lugubri tristia^{c)} destinamus, et cum dolor immensus totaliter occupet mentem nostram, tibi, quod intendimus, exprimere vix valemus, nec tu, quod scribimus, sine multitudine perlegere poteris lacrimarum, quin immo fletus acerrimus exordium, ut credimus, preveniet lectionis. Communis quidem est meror et^{d)} tecum pariter contristamur; natorum namque tuorum adversitas dira cor tuum cruciat passione nostramque animam simili flagello tormentat. Idem

^{a)} So statt exhortationibus ^{b)} statt der Adresse: Epistolam missam per dominum papam regine Francie de miseria predicta M. Epistola missa per dominum papam regine Francie, quando rex Francie Ludovicus passus fuit conflictum apud Manssuram V ^{c)} tristitiam M ^{d)} fehlt T

¹⁾ Zur Datierung oben S. 187 Nr. 99.